

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1763

Henricus [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](#)

§. IV.

Rudolfi
mors &
liberi.

Ita aucto aliquantum accessionibus patrimonio An. 1314. Rudolphus I. decepit; (e) ex conjugi, quæ Roetelana fuisse videtur, (f) pater trium filiorum, Henrici, Rudolfi, Ottonis, qui singuli ex paterna & materna hereditate aliquid obtinuerunt. De Anna filia nobis infra est sermo.

H E N R I C U S.

AB ANNO 1314. USQUE AD ANNUM 1318.

§. V.

Roetela-
na here-
ditas ex
affe.

Anno 1315. die Sat. ante S. Joh. Bapt. Otto de Ampringen, Miles, cum sculteto & senatu Sulzbergensi de argentifodinis Brisgoviae inter Episcopum Basiliensem & Heinricum nostrum, Brisgoviae Landgravium, controversis, sententiam pronuntiavit. In Literis his jam *Domini de Roetelen* titulo insignitur Henricus, partem illius Dynastiæ possidens. At sub finem ejusdem anni (g)

(e) In Literis Andreæ de Aſt, An. 1314. datis, vocatur *beate defunctus*. Vid.

Cod. Diplom.

(f) IMHOFIUS Tab. Geneal. 76. Partis II. Rudolpho nostro uxorem dat Agnetem de Reichberg; uxorem ejus appellans, quæ extiterat foror. Hæc nupsit Walthero de Reichenberg, Mili superioris Alsatiæ.

(g) Ante festum S. Thomæ 1315.

Lutoldus, Bafil. Præpositus, gentis Rœtelanæ postremus, donatione inter vivos, coram Officiali Curiæ Basiliensis, tradidit *Henrico Domicello, Margravio de Haperg, Lantgravio Brisgaugiaæ*, præsenti & recipienti, omnia bona sua & possessiones ac jura Dynastiae Rœtelanæ; reservato sibi duntaxat ad vitam libero eorum bonorum usu & fructu. (h) Lutoldus brevi post obiit. Henricus ergo totius Rœtelenensis Dynastiae solus factus est compos. Successores ejus, Marchionum Hachbergæ & Dominorum in Rœteln titulos continuantes, brevitatis causa frequentius appellati sunt *Marchiones Rœtelani*.

§. VI.

Anno 1316. pridie Ascens. Margavius Heinricus de ^{Acta}
Hachberg, *Dominus in Rœtelein, Lantgravius Brisgoviaæ*, cum ^{Henrici}
^{varia.} fratre Ottone, Johanni de Howenstein, Militi, Annæ de Büttinkon,
uxori ejus, horumque liberis utriusque sexus bona in Toffenbach
contulit in feudam.

Anno 1317. Johannes & Rudegerus de Endingen, pater
& filius, Milites ac cives Neoburgenses, Heinrico, Margavio
de Hachperg juniori, Lantgravio Brisgoviaæ, jus relutionis
competere fatentur in bonis, in Hertikein & Furbach sitis, quæ

B b b 3

(h) Codex Diplom. Badensis ad An. 1315.

ab ipso in feudum acceperant. Vocatur Henricus hic *junior*, ut a patruo suo distinguerefur Henrico, Hachbergicæ lineæ auctore, de quo supra jam sermo.

A. 1318. Annam sororem suam Henricus in matrimonium collocavit Friderico, Comiti Friburgi; septingentæ marcae argenti promissæ sunt in dotem. Pro summa hac Landgraviatus Brisgoviae oppigneratus Friderico; ut suo loco docebitur. (i) Henricus brevi post A. 1318. obiit improlis. (l)

§. VII.

Pistorii
errores.

Errat PISTORIUS, quando successores, Rudolfum atque Ottonem, pro filiis Henrici venditat, qui fratres ejus fuerunt. Fraternitatem declarat Charta An. 1334. qua Landgraviatum Brisgoviae Friderico, *sororis* suæ marito, oppigneratum testantur, adeoque Annæ & Henrici fratres se fuisse ostendunt.

Sed & duos alios errores commisit Pistorius; quando Henricum nostrum circa A. 1334. obiisse tradit; quum jam ab A. 1326. nulla Henrici, sed modo Rudolphi & Ottonis mentio fiat; quodque Henrico Saufenbergico fratrem assignat Rudolphum, illum

(i) In Capite de Landgraviatu.

(l) IMHOFIUS Tab. LXXVI. atque HUBNERUS Tab. 229. Henricum hunc generis sui propagatorem male constituunt.

Henrici III. Hachbergici filium, Ordinis Johannitici Commendatorem, An. 1343. mortuum. Saufenbergicus noster Rudolphus uxorem & filium habuit; vixitque usque ad Annum 1352. ut ex dicendis patebit.

R U D O L F U S II. E T O T T O
F R A T R E S H E N R I C I.
A B A N N O 1326. U S Q U E A D A N N U M 1384.

§. VIII.

Anno 1326. die Ven. post S. Galli Rudolfus & Otto ^{A&a fr-}
fratres, Marchiones de Hachb. Domini in Roetelein, Landgravii ^{trum ab}
Brisgoviae, cum Lutoldo, Domino de Krenchingen, ejusque filio
Henrico, de Castro in Branbach, (*m*) quod commune ipsis erat,
amicè transegerunt, futurisque litibus componendis tres arbitros
elegerunt.

Anno 1327. feuda, quæ Ludovicus de Bütenhein ab ipsis
tenebat, Henrico de Hungerstein, avunculo ejus, ad ipsius
Ludovici preces, concederunt.

Anno 1331. Ordinis Johannitici Fratribus aquam in sua
prata Neuenburgensia ducendi jus (*n*) a Slienga usque ad Rhenum
pro XXX. marcis argenti Otto concessit.

(*m*) Castrum hujus ruinæ hodieque visuntur Brombaci. Possessores ejus sunt
Reichii a Reichenstein.

(*n*) Ex rivulo, qui vocatur *dis Hoell*.